

Insidias peram ad pueri struit altera , nec se  
 Missuram incautum dicit prius , omnia furtim  
 Quam voret , ac misero fletum & jejunia linquat .  
 Ille autem e culmo captandis pulcra locustis  
 Septa struit junco nectens , nec pera , nec uvæ  
 Jam subeunt animo , textu sed gaudet inani .  
 It calicem hac illac per totum mollis acanthus ;  
 Plurimus upilio veniens quem visere gestit ,  
 Qui tibi miranti suspendet lumina , Thyrsi .  
 Nauta tulit calicis pretium Calydonius , orbem  
 Ingentem pressi lactis , pinguemque capellam .  
 Necdum etiam labro tetigi , sed conditus omni  
 Labe caret . quem ferre tibi facilisque volensque ,  
 Dulcis amice , dabo , referas modo amabile carmen .  
 Invideo tibi nil : agedum , bone ; carmina quando  
 Non umbris , credo , immemori servabis & orco .  
**T. Incipe bucolicum , dulcis Musa , incipe carmen .**

Thyrsis ego ex Ætna , ætnæ Thysridis hæc vox .  
 Quæ loca , dum misere Daphnis tabescit , habebant  
 Quæ loca vos , Nymphæ ? Pindusne , an Thessala Tempe ?  
 Nam neque tum visæ vitrei sub gurgite Anapi ,  
 Non Ætna in viridi , sacra nec in Acidis unda .

**Incipe bucolicum , dulcis Musa , incipe carmen .**  
 Illum etiam Thoes , secla & flevere luporum ,  
 Illum etiam sylva torvus leo flevit ab alta .

**Incipe bucolicum dulcis Musa , incipe carmen .**  
 Multæ illi ante pedes vaccæ , taurique jacentes ,  
 Multæ illi vitulæ , multæ adgemuere juvencæ .

**Incipe bucolicum , dulcis Musa , incipe carmen .**  
 Primus Atlantiades veniens de monte : quis , inquit ,  
 Daphni , quis indigno miserum male perdit amore ?

**Incipe bucolicum , dulcis Musa , incipe carmen .**